



BIBLIOTHECA
UNIV. JAGELL.
CRACOVENSIS

40127


kat.komp.

Mag. St. Dr.

P

len. Teol. 3189

Stanczyński, Konstantyn Felicjan, Ep. Crac. Epi-
stola pastoralis a. 1720.



EPISTOLA^{160.}
PASTORALIS
CELSISSIMI, ILLUSTRISSIMI,
&
REVERENDISSIMI DOMINI,
D. CONSTANTINI
FELICIANI
SZANIAWSKI,
Episcopi Cracoviensis,
Ducis Severiæ.

Ex Mandato Ejusdem

ANNO DOMINI M. DCCXX.
I M P R E S S A.

C R A C O V I Æ,

Typis Francisci Cezary, S. R. M. Celsissimi Principis, Illustrissimi & Reverendissimi Dni Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ; necnon Scholarum Novodvorcianarum Ordinarij Typographi.


161



40122

Ibr

162



CONSTANTINUS, FELICIANUS
SZANIAWSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ, Epî-
scopus Cracoviensis, Dux Severiæ.

*Universo Clero Sæculari & Regulari Diœcesis
Nostræ, Salutem in Domino.*



Uam primùm ad Ecclesiæ & Diœce-
sis Cracoviensis gubernacula, Divi-
nâ disponente Clementiâ, sumus
admoti, eâ potissimùm sollicitu-
dinis Nostræ Pastoralis, curâ angî-
mur, ac urgemur; ut Gloriam DEI
in augmento: disciplinam Ecclesi-
asticam in vigore: Christianam Pie-
tatem in fervore: cunctis regiminis
Nostrî diebus, videamus. Hinc memores Apostolicæ ad-
hortationis: Attendite Vobis, & universo gregi, in quo
vos, Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam
DEI; hâc Pastoralî Epistolâ, Vos FRATRES IN CHRISTO DI-
LECTISSIMI, alloquimur, atq; adhortamur: Attendite unâ
Nobiscum & Vos, quicumque opus Ministerij Sancti
& Sacer-

163 & Sacerdotalis, sortiti estis; Attendite Vobis, & pretioso deposito, quod Vobis creditum est. Genus electum sumus; consideremus, ne à statu electionis, depravata mundi conversatione rejiciamur. Regale Sacerdotium nominamur, & sumus; dedignemur in sæculi vilitatem degeneri actionum servitute redire. Gens Sancta credimur; videamus, ne alios, ad sanctitatem erudientes, ipsi reprobis efficiamur. Populus acquisitionis dicimur; vigilemus, ne Nos, & commissum Nobis gregem perdamus. Quapropter emundemus Nos, ab omni inquinamento carnis & spiritus, caveamusq; diligenter, ne lingua, quæ vocat de Coelo Filium DEI, contra ipsum Dominum loquatur; ne manus, quæ sanctificantur Mysterijs Christi, polluantur sanguine peccatorum. Sit in mente continuò, sit semper in oculis Nostri, supremus Sacerdotalis Dignitatis Character, ne eidem vel à Nobisipsis, vel ab adversarijs, macula iniquitatis appingatur. Quanta namque dignitas Nostra est, quòd Patrum testimonio nuncupemur: Mundi fundamenta, Christianæ Fidei columnæ, mortalis vitæ Ductores, Coadjutores Redemptoris, Dapiferi Mæstæ Christi, Consiliarij Domini Sabaoth, per quos peccatores redeunt in gratiã DEI. O stupendum miraculum! ô ineffabilem potestatem! ô admirabilem autoritatem! In timore itaque & tremore considerandum est: Præstetne sicut populum sic esse Sacerdotes? Qui Sacri Altaris suggestu eminent, tantum excellere eos oportet meritò, quantum gradu: quò enim gradus est excelsior, eò ruina est periculosior. Lætetur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum: non enim tanti gaudij est, excelsa tenuisse, quanti mœroris & scandali, de sublimioribus corruisse. Verùm tamen adjiciendum est, ut resurgat animus etiam à lapsu; & quæ vetus error, aut inconiuncta subruit ignorantia, super nova fundamenta ædificari, aut renovata pristinarum institutionum firmitate elevari, operæpretium est. Ad hoc mens & sollicitudo

164
citus Nostre tendit, ut Charitas Vestra magis abundet
in scientia Legis Domini, quæ immaculatè custodita con-
vertit animas, & Sapientiam dat parvulis; ut probetis po-
tiora, id est Spiritualia, quæ mundo & carni refragantur:
ut sitis sinceri in mandatis DEI, à Vobis servandis, & po-
pulo inculcãdis sine offensa in diem Christi, ambulantes,
in luce & exemplo bonorum operum, in integritate ir-
reprehensibili in fructu justitiæ, in laudem & gloriam DEI;
ut non conformemini huic sæculo, sed in novitate sen-
sus Vestri reformemini. Quare Pastoralis Officij spiri-
tu excitati, cupientesq; ut ea, quæ à SS. Canonibus, Oecu-
menicis Concilijs, summis Pontificibus, & Sacris Congre-
gationibus sancita, declarata, rata & ordinata sunt, seriæ
observationi & executioni demandentur; antequam post
expedita prægnantia, circa Immunitatis Ecclesiæ tuendam
Libertatem, & Patriæ Regniq; hujus, procurandam ac
conservandam tranquillitatem, ex munere obligationis &
Senatoriæ Dignitatis, sub tempus Comitiorum imminet-
tium, negotia, ad Visitationes, Correctiones, Reformatio-
nes, aliasq; Functiones Episcopales, peragens devenia-
mus; Ordinationes, Regulas, Monita, Statutaq; obser-
vanda, solò DEI Gloriæ promovendæ studio, & discipli-
næ Ecclesiasticæ zelò, proponimus sequentia.

De vita & Honestate Clericorum.

Qui in sortem Domini vocati sunt, Divinarumq; rerum
ministerio addicti, illorum in Ecclesia DEI status is
est, ut si morum gravitate, vitæq; exemplo in dignitate
præcellant; aliorum post se trahant sequelam, ad piè san-
ctèq; more Christiano vivendum; quòd si verò in uno
cujusvis rei vel minimè offendant genere, lumen, quod ipsis,
ad illustrandos dirigendosq; in via justitiæ homines, inesse
debet, tenebræ sunt. Omnis itaq; Sacerdos seu Clericus

165 ita in conversatione se gerat, ut qui ex adverso sunt, specimen virtutum, in ipso existere agnoscant, nec habeant, quid contrà dicant. Vestitum nigrum talarem, pileos item non nisi rotundos, ejuldem coloris deferant. Quotidie Sacerdos legitimè non impeditus, Sacrificium Missæ celebret, sin minus, Dominicis & Festis diebus id facere: in alijs verò Ordinibus infra Sacerdotium constitutus, Sacram Communionem sumere, non intermittat. Singulis, autem diebus sive Presbyter, quando ipse non celebrat, sive Clericus in quantum fieri potest, Sacro Missæ intersit. Attendere præterea oportet, ne fortè graventur corda crapulâ & ebrietate, quæ omnis mali origo est, & inimica virtutum. Abstineant à carnalibus desiderijs, quæ militant adversus animam; quare mulieres omninò vitent, nec eas, præsertim juvenes domi suæ (ex quibus possit suspicio dari vel scandalum) fovere audeant, sine ulla enim dubitatione, qui familiaritatem non vult vitare suspectam, citò labitur in ruinam. Et juxta Divi Cypriani effatum: Cum Clerico fæmina nulla permaneat; non despecta, non vetula, non consanguinea, non affinis suscipienda in domesticum consortium, quia faciliùs delinquitur, ubi sine suspicione, securum esse potest delictum; maximè quia cupidini nulla deformitas, fastidium generat, cum Diabolus pingens speciosum efficit, quidquid fœdum ac horridum fuerit: suum mulier retinet morem, & hominem semper educit de Paradyso. Familiam alant non discolam, sed laudabiliter moratam, & supellestem, honestam. A comestationibus, præcipuè à frequentatione tabernarum, & hospitio communi abstineant, velut sub hedera præsertim in Civitatibus, non compotent; vitam deniq; ac mores conservent inculpatos, ut Populus Fidelium suæ curæ commissus, videat opera eorum bona: nam quæ leves sunt in laicis culpæ, adeò in Clericis sunt magna delicta, ut etiam illis, os aperire nugacibus verbis, sit

Trident.
Sess. 25. c.
14. de Re-
format.

c. Clerici
hoc tit.

166
sit crimen; assvescere sacrilegium. Erga omnes personas se gerant cum humilitate, & spiritu lenitatis, ut convertant corda multorum in se, & Sæculares alliciant ad Statûs, & boni Ecclesiastici amorem. Coram omnibus deniq; sibi adhærentibus, seq; intuentibus, formam disciplinæ, verecundiæ, & modestiæ, præferant. In omni incessu, statu, gestu, vultu, Ordinem suum, Sacerdos & Clericus profiteantur, omni Clericalis vitæ actione, religiosi animi mores exprimentes, qui in Ecclesiastici Ordinis hominibus lucere debent omnibus, qui sunt in Domo DEI. Quia verò, de mundano pulvere, etiam religiosa corda sordescere querulatur D. Gregorius, & à depravatis sæculi moribus Spiritualium mentes infici non sit novum, etiam inter Clerum, ubi abundaverit delictum, refrigerat Charitas multorum; studeant proinde omnes, spiritu mentis suæ, sapius renovari, per Exercitia Spiritualia, seu Recollectiones, quas per octo, aut quinque ad minimum dies, Anno quidem præsentium, opportuno tempore, postea verò, quolibet biennio, singuli Beneficiati, & Vicarij, qui sunt propiores Cracoviæ & Lublino, in Domo Congregationis Missionis, qui verò proximiores Sandomiriæ, apud PP. Societatis IESU, sub directione docti & pii Patris Spiritualis, in ibidem absolvent, sumptu proprio, testimoniumq; desuper, circa quamlibet Approbationem exhibebunt; Talibus enim anima illuminatur, conscientia purgatur, homo in via Salutis perficitur, & cor, ad amorem DEI ferventior, accenditur, subscribente Prophetâ: Et in meditatione mea, exardescet ignis.

Psalm. 38.

De Visitatione Ecclesiarum.

Visitationis munus, ut potè augendi Cultûs Divini, ac conservandæ, restituendæque Disciplinæ Ecclesiasticæ oppro:

167
opportunitum remedium, ultra Generalem, quam in Persona Nostra, sive per Eos, quos ad id specialiter deputaverimus, DEO adjuvante peragere proposuimus; sacrosanctè, ab his, ad quos de iure spectat & pertinet, sub onere conscientia, mandamus adimpleri. Hoc autem ut accuratiùs expediatur, Constitutionibus Provincialibus provisum est: ut viri ætate, moribusq; graves, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi, in officio Archidiaconatus constituantur, qui statutis temporibus, Ecclesias visitent, & ad Episcopum referant, quæcunq; à se animadverta, vel corrigi, vel reformari oportere judicaverint. Constituti itaq; seu deinceps constituendi in hoc functionis genere, incumbendum sibi sciant, ut munus suum non nomine solùm, sed certis Officij partibus, rectè atq; ex ordine Canoniarum sanctionum administrent. Quamobrem hæc & Nos de eorum officio, pro Diocesis Nostræ bono regimine statuimus: Habeant Visitatores tabellam distinctam, connotandarum in singula plebe & Parochia Personarum Ecclesiasticarum ibidem habitantium: Si quando verò Beneficiatus ejus plebis & Parochiæ alibi habitet, describant solùmmodò nomen Beneficiati, reditus, & onera Beneficij (nam status plenus erit postea in loco, ubi is habitaverit, describendus) si verò resideat extra Dioccesim; describatur status personalis à parte, in eo loco, ubi invenitur possidere beneficium, inquisitione possibili ubique factâ de eo, maximè circa vitam & mores; & si is absens, etiam aliud beneficium obtineat in Diocesi, tunc status personalis describatur sub ejus beneficij visitatione, ubi ille residere tenetur, idq; circa hæc: An in Sacramentis administrandis, in Verbi DEI prædicatione, in salutaribus monitis, in rudium & puerorum, ad Doctrinam Christianam, institutione, & in cæteris omnibus Parochi officijs, diligentis muneris partes per se, vel per Vicarium gerat? Videant item: an populus

Lib. 1. de
Offic. Ar.
ubidiac.

pulus in via Domini ambulet? frequensq; Divinis Officijs, & Sacris Concionibus interfit? num in Ecclesia piè religiosèq; versetur, atq; dies Festos colat? an jejunium Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Statutaq; reliqua Ecclesiæ terret? an in populo Sacrilegi, Blasphemi, Concupinarij, Adulteri, Adulteravè, Incestuosi, Virginum raptores? an Usurarij, Excōmunicati? an Hæresis, Magiæ, Superstitionumvè suspicione notati, reperiantur? An qui ex Beneficiatis, ad residentiã personalem tenentur, præsentes sint sæpiùs, & non se absentent, ultrà duos menses à Parochialibus Ecclesijs? an Parochi, aliq; animarum Curatores, sollicitè ut debent, fidelium sibi commissorum saluti invigilent? an Ministri Ecclesiæ, officio & obligationibus suis satisfaciant? & in aliquibus, correctione non indigeant? an Scholiregæ honesti & morigeri, ad instituendos pueros, in lectione, scriptura, & linguæ Latinæ rudimentis, sufficientes foveantur? an Ecclesiæ ipsæ sint consecratæ? an reparatione non indigeant? &c. &c. Quæcunq; verò animadverterint, vel anteriorum Episcoporū, vel Nostra ad præsens, statuta, seu Synodales Constitutiones, vel Reformationum Decreta, nondum esse in executione & observatione, vel correctionem aut reformationem desiderare; ea Nobis in occluso Rotulo notificent. Notarium ad conscribenda Acta, Inventaria Supellectilis, tum Fabricæ Ecclesiæ, aliorumq; ad exactam Visitationem requisitorum: vel si Notarium habere præstò non possunt, alium Secretarium, qui tamen Subdiaconus vel Diaconus sit probatæ fidei, secum assumant. Munera ultrò etiã, intuitu Visitationis oblata, nec per se, nec per familiares suos, pro se, aut suis, quocunq; prætextu accipiant; quòd si fortè quispiam de suis familiaribus aliquid sumpserit, puniant, & restituere compellant. Quoniam juxta Decretum Gregorij Papæ X, in Concil. Generali Lugdun: per Trident: innovatum, etiam Episcopus recipiens

B

aliquid

168.
c. Exigit
de Cèlibus
Et. in 6.

169 aliquid à visitatis ultrà victualia; tenetur ad restitutionem
dupli: & si non restituerit intra mensem, incurrit Inter-
dictum ab ingressu Ecclesiæ; Inferiores verò ab Officio &
beneficio declarantur suspensi, quousq; de duplo hujus-
modi gravatis Ecclesijs, plenariam satisfactionem impen-
derint, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu
gratiâ suffragante; Caveant proinde Visitatores, visita-
tioni subjectos gravare, sed sint frugalitate, & pro posse,
honestâ sui sustentatione contenti. Parochus autem seu
quicumq; Ecclesiæ Rector, curam animarum gerens, cum
visitandus fuerit, Literas Innotescentiales ad eum finem
editas, duobus ante illius terminum, proximè festis diebus,
coram populo ad Divina audienda congregato, promulget.

De Congregationibus Decanalibus.

DEcani, ad quos Conventuum seu Congregationum,
præcipua cura delata est, noverint, se munus atq;
adeò onus sustinere, & grave admodum ac planè multi-
plex: in quo scilicet Cleri pietas, moderatio morum, re-
rum sacrarum studia, & virtutum exercitationes consi-
stunt, utpotè omnis Sacerdotalis, Clericalisvè Disciplinæ
firmamenta, ac præsidia vel maxima. Quare Eorum quili-
bet bis in anno, primis videlicet diebus Mensium, Maij &
Octobris, ad locum aliquem Parochialis Ecclesiæ, omnes &
singulos Presbyteros ac Beneficiatos, duabus hebdoma-
dibus ante inchoationem, per Literas Innotescentiales viâ
curforiâ transmissas, convocabit, expressis ibidem resollen-
dorum Casuum punctis, & quæstionum materijs. Post-
quam verò ad constitutum locum singuli venerint, sta-
tim Ecclesiam visitent, DEUM orantes, ut Clerus Popu-
lusque, salutare inde fructum percipiat. Et quia sub tem-
pus celebrationis talium Conventuum, frequens populi
concurfus esse solet, qui, ceu ad quoddam Sacerdotalium
actionum theatrum, confluere moris habet; in omni actu,
gestu

gestu, sermone, & officio, unusquisq; ita se gerat, ut chari-^{170.}
tatis, pietatis, devotionis, humilitatis & sanctitatis, exem-
plis laicos ædificet. Æmulabuntur & ipsi adinvicem
charismata meliora, bonorū operū & virtutū exēpla imitan-
tes: Sanctos enim viros, inter se congressum habuisse, me-
morix proditum est; ut alius ab alio, mutuum adjuvmentum
acciperet, quō uteretur ad cursum perfectionis. Pridiē
diei Conventūs vesperi, paulō post signum Salutationis
Angelicæ, & ipso etiam die, quō Conventūs celebratur,
summo manē, solemni longiori; campanarum pulsu, ce-
lebritatem hanc populo significant. Ipso tandem sole-
mnitatis die, omnes manē ad Ecclesiam convenient, Su-
perpelliceis induti, & totum Officium pro Defunctis, non
raptim, sed graviter, distinctē & devotē absolvent. Tum
Missā solemnis celebretur, à Sacerdote per Decanum desi-
gnando, pro animabus Defunctorum; alii autem Presby-
teri, poterunt votivam de Spiritu Sancto dicere. Abso-
lutis verò Divinis, unus ex Sacerdotibus sermonem ad
Clerum habebit: de statu vocatione & Obligationibus
Ecclesiasticorum. Quibus taliter peractis ad ædes Parochi
descendent, ibiq; prandium sument, omnes ad unam
eandemq; mensam (quantum fieri poterit) præviā be-
nedictione, à Decano faciendā discumbent, ad quam
nullus laicus, Ecclesiasticusvè, qui non tenetur interesse,
pro illa vice, invitetur. Dum verò corpora ad labores
sustinendos cibō reficiuntur, tum mentes potissimūm Spi-
ritualibus epulis recreari conveniat; junior vocatione Be-
neficiatus, refectionis tempore, librum leget de ijs, quæ ad
vitam, moresque Clericales, rectē componendos, usui
atque adjuvmento sunt. Fercula non ultra quinque appo-
nantur, ne in mensæ frugalitate fiat excessus: Comestatio
deniq; & compotatio omnis, cū planē sit indigna
Sacerdote, ab omnibus vitetur: Si quis autem contrarium
fecerit, in eum Decanus graviter animadvertet, & pecu-
nariā poenā mulctabit, Xenodochio illius loci applicandā.

Intuitu verò alimentorum, taliter per Decanum pro
 omnibus comparandorum, quilibet Sacerdos, florenum
 unum persolvat, per æditum Ecclesiæ, à singulis reperen-
 dum. Prandiò sumptò, & gratis DEO actis, omnes de-
 mum ad Ecclesiam superpelliceis induti, ordinatè descen-
 dent, ibiq; semotis omnibus sæcularibus, invocatâ Spi-
 ritûs S. gratiâ, iuxta senium vocationis sedebunt, excep-
 ptò Decanò, qui primum locum obtinens, discursu præ-
 habito, à Iuniore incipiet, & sic ordine, ex reliquis sen-
 sum & doctrinam, circa casus conscientiæ resolvendos,
 explorabit; unusquisq; autem explicitè & distinctim re-
 spondeat, opinionemq; suam, non tam è schola, quam ex
 usu rerum, & scriptis Doctorum confirmet, & locos, un-
 de eam acceperit, recenseat. Si quis auius fuerit non
 ex ordine suo respondere, vel interturbare jocis, aut ca-
 chinnis, sententiam cuiusvis, vel movere rixas, aut con-
 vitia & iniurias alteri inferre; curabit Decanus, adhibitis
 duobus vel tribus aliis, eos, inter quos orta fuerit conten-
 tio, quàmprimùm ad invicem reconciliari, impositâ salu-
 tari pœnitentiâ, seu multâ pecuniariâ illi, qui culpabi-
 lis fuerit adinventus. Omnium votis auditis, tandem De-
 canus sententiam, quam probabiliorem iudicaverit, se-
 quendam declaret, rationes intrinsecas & extrinsecas su-
 biciat, & rerum dubiarum interpretationes, distinctiones,
 & exceptiones adiungat; falsa à veris, dubia à certis
 particularia à communibus secernendo, dissidentes in-
 ter se Doctorum opiniones conciliando, & quæ tutior
 doctrina sit, exponendo, & enucleatè explicando. Quæ
 verò singillatim ab eo sunt connotanda, erunt sequentia:
 Locus, ubi Conventus habitus est, Annus, Mensis, Dies
 Conventûs: Qui præsentés adfuerint, qui rursus abfuerint:
 absentia excusationes, quæ legitimæ, quæ item frivola;
 qui Missam solemnem celebraverint, quivè ministraverint:
 qui deinde reliqui Sacerdotes Sacrificium Missæ di-
 xerint: qui ad populum sermonem habuerint: qui
 seanda-

scandalosi, excessivi, & correctione indigentes &c. 172
 Quæ omnia & singula exactè, unà cum resolutionibus peractis descripta, manu suâ & Notarij seu Secretarij Congregationis subscripta, intra mensem ad Nos, seu Officium Nostrum, in ocluso Rotulo trāmittet. Ut autem ordo, numerus, ac qualitates Ecclesiasticorum Nobis innotescant, eos de nomine & cognomine Decanus specificabit, in seorsiva duntaxat scheda, ad Nos, cum aliis transmittenda, idq; hoc modò:

Decanatus N. sub Officialatu N.

Nomen, Cognomen, & à quo tēpore Sacerdos.	Cui Ecclesiæ deservit; & à quo tempore.	Sēsus de vita, moribus, & capacitate.
V. G Titius Bertanski, ætatis N. Ordinarius à Rūdmo N. Ep̃po N. anno. & die N.	Parochus Ecclesiæ N, abannis. N.	Probæ vitæ, exemplaris, doctus &c. vel Malus, scandalosus &c.

Inter alia, in Congregationibus huiusmodi tractanda, meminerint Decani admonere suos Parochos, quatenus unusquisque, intra limites suæ Parœciæ, Cruces in viis publicis, venerationi Fidelium expositas, & vetustate, aut ventorum vi, collapsas, effigiem Crucifixi, manibus aut capite truncato, vel aliàs deformatam, aut inversam, præferentes, quæ sunt reparabiles restaurari, quæ verò putrefactæ & deformes, tolli & comburi, curet, novis in earum locum substitutis: ne per hunc memoriæ Passionis Dominicæ neglectum, scandalum inter Iudæos, & Hæreticos abundet. Absoluto tandem Conventu, antequam itinerare accingent, Psalmū: De profundis, & preces itinerarias

recitabunt, & sic in pace, ad suam quisque Ecclesiam & residentiam revertentur.

173

De Prædicatione Verbi Divini.

Quoniam legatione fungimur ad eos, quibus hæreditas parata est salutis, annuntiare de die in diem, veritatem & Salutare DEI, populoq; scelera & peccata, Spiritûs illius mādato jubemur, qui locutus est per Prophetas. Volumus igitur, ut locii legationis huiusmodi, memores obligationis suæ, Verbi DEI prædicatione, intendant; parare Domino plebem perfectam. Quare juxta Decretum S. Concilii Trid. Archipresbyteri, Plebani, & quicumque Ecclesias, curam animarum annexam, habentes, quôcunque modô obtinent, per se, vel si impediti fuerint, per alios idoneos (idq; Presbyteros, aut saltem, in Sacris constitutos; Clericis Minorum Ordinum rarò, solum autem habitum Clericalem, sine Charactere, deferentibus, nunquam adhibitis) diebus Dominicis & Festis, populum sibi commissum pascant, salutari cibo Verbi DEI, docendo, quæ omnes scire ad salutem, est necesse: annuntiandoq; eis, cum brevitate & facilitate sermonis, vitia declinanda, & virtutes amplectendas, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi mereantur. Idcirco si quis eorum præstare id negligenter intermiserit, etiamsi se Ordinariæ Jurisdictioni, quâvis ratione non subesse, prætenderet, vel Ecclesiæ quôcunque modô exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio etiam extra Diocesim existenti, forsan annexæ vel unitæ, modô reipsâ in Diocesi sint, provida Pastoralis sollicitudo Nostra non deerit, quominus dispositio huiusmodi Nostra, circa id adimpleatur. Absit enim verificari illud, quod dictum est per Prophetam: Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Cui obviando supra citatum.

Ses. 2. c.
2. de Refo.

Thren. 4.

174
tum Tridentinum disponit ibidem: ut qui post admonitionem, intra spatium trium mensium, muneri suo hac in parte defuerint, ad illud exequendum, si necesse sit, per Censuras Ecclesiasticas, aut alias ad Episcopi arbitrium pœnascogantur. Quia verò Doctrina Evangelica teste Apostolo: Non in perivasisibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs consistit; ideò in Concionibus suis, ab illis, quæ sunt ad ostentationem ingenii, subtilitatibus, nec non fabulosis, jocosisq; eruditionibus abstinebunt, sed utilia ad profectum animarum, seria ad depravatos mores corrigendos, prædicabunt; ut totius concionis scopus, & fructus sit, Spirituale animarum lucrum. Nulli unquam hominum statui, aut privatis personis, per aliquam circumlocutionem malitiosè, vel minùs cautè detrahant, nec in eas expressè invehantur, quin potiùs studeant, ut verbò & opere, concilient fidelium animos, non auertant. Diebus Dominicis, finito sermone, dies Festos, Ieiunia, Indulgentias, Censuras Ecclesiasticas, (si quæ sunt publicandæ) denuntient: publicas tum privatas, Ecclesiæ proximorumq; necessitates, Orationibus fidelium commendent. Item Actus Fidei, Spei, Charitatis & Contritionis; ac pro simplicium informatione, Orationem Dominicam, Salutationem Angeleam, & Symbolum Apostolorum, voce clarâ, distinctè & intelligibiliter, cum populo dicant; Concione cum his omnibus, non ultra tres horæ quadrantes protractâ.

1. Cor. 2.

De Doctrina Christiana.

CHRISTIANÆ perfectionis fundamentum Fides, tantam quoad omnes homines, inducit necessitatem, ut quosdam illius articulos, culpabiliter ignorare sit peccatum, quibusdam, etiam inculpabiliter non cognitis, certa consequitur ignorantis damnatio. Proinde cum cuncti, qui
Christi.

175

*Trid. Sess.
24. cap. 4.
de Refor.*

Christiano nomine censentur, Orthodoxæ Fidei dogmata scire, & credere, nisi audierint, non possunt; omnibus Sacerdotibus curam animarum gerentibus, mandamus, ut exemplò Christi ad hoc ministerium, & charitate proximi, prudenter accincti, Doctrinam Christianam, seu Catechismum, fidelibus exponant, eosq; in rudimentis fidei instruant, & instituant. In Civitatibus quidē, ubi populi numerus frequentior, tempore pomeridiano, horâ dimidiâ ante Vesperas, inchoetur à Sacerdote superpelleceo induto, qui cum omnibus intervenientibus, ante omnia dicet; Pater noster, Ave Maria, Credo, Præcepta Decalogi, ac pro invocando Superno Lumine: Veni S. Spiritus: ita clarè & distinctè, ut audientes percipiant, & vocem illius sequantur. In Villis autem, ubi rarior habetur concursus, tempore matutino methodus eadem, ante Missam cantatam & Concionem servetur. Curabunt verò Catechistæ, ea, quæ dicenda erunt, tam enucleatè & familiaribus verbis proponere, ut audiens populus facilè percipiat, & memoriâ firmiter retineat. Initio pauca docebunt, sapiusq; ea repetent, ad reddendum pueros magis attentos & diligentiores. Monebunt præterea catechizandos, ut sint assidui, modesti, quos non corripiât asperius, imò potius laudent illos, qui repetunt vel recitant memoriter ex doctrina, licet non adeò benè. Congrueret verò imagines, vel alia minora munuscula, scientibus distribuere; sic enim alliciuntur, & animantur ad melius discendum. Pauperes quoque & infirmos, qui extra domum exire nequeunt, visitare, iisque tradere meminerint Doctrinam Catechisticam, unâ cum salutaribus monitis; ut quibus corporalis seu deest, seu non prodest, spirituali curentur medicinâ.

De

SANCTISSIMA Ecclesiæ Catholicæ Sacramēta, ut sunt in-
sternæ externæq; sanctitatis fontes & signa: ita eorum ad-
ministratio, perceptioq; singularem pietatem, religionem,
devotionemq; requirit. Quod tum ex ipsis Mysteriis in-
telligi potest, tum etiam ex precibus, & Sacris ceremoniis
perspicitur, quæ ex Divinis Scripturis, Apostolicisq; Tra-
ditionibus delumptæ, ac perpetuò S. Ecclesiæ usu corro-
boratæ, ad hæc usq; tempora piè retinentur. Sacramen-
ta enim à Christo Domino Salvatore Nostro instituta, &
ad communē omniū proposita salutē, cū cælestia munera
sint, causæq; Divinæ Gratiæ, solemnibus ceremoniis tra-
ctantur, & ministrantur, ut eorum tum administratio san-
cta sit; tum perceptio plena Religionis. Quare primò lo-
cò hæc generatim ponuntur, ut tam qui Sacramenta mi-
nistrat, quàm qui sumit, ad pietatis suæ partes breviter in-
struatur. Primò igitur Parochus, omnisq; Sacerdos, cu-
ius est Sacramenta administrare, memor sit: Sancta san-
ctè esse tractanda, consideretq; in ministerio Sancto-
rum se versari, quatenus omni ferè temporis momento,
sit expeditus ad tam sanctæ administrationis munus.
Quamobrem, cùm alios per Sacramenta purget, atq; il-
luminet, huic vel maximè studebit, ut ipse vitam purè,
castè, & religiosè agat, mentemq; item ac animum ab
omni peccati labe purum, adiutrice DEI gratiâ conser-
vet diligenter; nam etsi Sacramenta Divinam virtutem,
vitamq; spiritualem, quæ illis inest, nunquam amittant,
ea tamen indignè ministrantibus, per culpam lethalis no-
xæ, mortem afferunt. Itaq; ante omnia sollicitè & inti-
mè cogitare debet: an alicujus peccati mortalis (quod
severissimâ cautione Sacerdos evitare debet) sibi conscius
nō sit? cuius, si reum se esse agnoverit, prius sacramentali

177 **C**onfessione illud expiare nitatur, vel certè auctum Con-
tritionis perfectæ (idq; circa Sacramenta tantum necessi-
tatis, in periculo administranda, & si copia defuerit Con-
fessarii) eliciat. Quæcumq; verò diei aut noctis horâ ad-
ministranda Sacramenta vocabitur (cùm præcipuum id ejus
sit munus, ejus causâ à reliquo populo separatur, & Ec-
clesiæ proventibus sustentatur) nullam tam sanctis pieta-
tis officijs, moram interponet, imò populum sæpenume-
rò quoties occasio tulerit, accuratè præmonebit, ut cùm
opus est Parochiali ministratiõne & officio, se quàm pri-
mùm adeat, & liberè accersat, nullâ habitâ temporis,
loci distantis, alteriusvè cuiuscunq; incommodi ratione.
Cùm autem taliter accersetur, absit, ut verbis vel vultu,
vel alio signo ostendat, se ægrè iturum, sed salutis illius,
cui ministrare debet, desiderio se accensum common-
strans, verborum benignitate vultuq; hilari, amorem &
benevolentiam paternam præferente, petenti annuens,
sacro se operi, ad quod invitatur, libenter, & quàm ce-
lerrimè potest, accingat. Dum autem ad ministrandum
proficiscitur, recogitet corde, mediteturq; rem quàm san-
ctè acturus est. Taliter demùm in omni Sacramentorum
administratiõne se gerat, ut non solum actione, sed totâ sui
compositione, etiam illos qui adfuerint, incitet ad pie-
tatem. Cavebit verò ne pro administratiõne, ejusvè re-
spectu aut occasione, aliquid exigat, quocunq; colore &
ingenio, sed quæ gratis accepit gratis ministret; solis
spontè & liberaliter oblatis contentus, sine aliqua vel
minima avaritiæ supicatione. Cætera deniq; omnia
ritè & ordine servabit, prout unicuiq; Sacramenti
administratiõni, accomodata, suis locis sigillatim di-
sponuntur. Et quoniam ad Sacramenta, relationem
quoq; habent Sacramentalia, eorùm itidem administratiõ,
signanter autem Benedictionum, cum præscriptis in Rituali
cerimonijs, ac omni pietate & reverentia exerceatur. Huc
referrî.

referri volumus illam, secundum antiquam hujus Provincia¹⁷⁰ praxim, Benedictionis solemnitate, quam Parochi, Natalis Domini tempore, Domos Parochianorum, cum sacris Reliquiis visitantes observant, commendantes, ut cum timore DEI & reverentia peragatur: Quare, ne circa actum hujusmodi, in Aulis Nobilium, necnon quibuscunq; domibus privatorum, comotationes, saltus, aliaq; inconvenientia fiant, serio inhibemus, quinimo Parochis omnibus, prout indecorum est, deposito suppelliceo, mensis pro tunc paratis accumbere, multo magis ad seram noctem moram trahere, & foecundos calices epotare, interdiximus; quia per hoc Benedictionis ministerium, vertitur in profanationis argumentum.

De Sacrificio Missae.

Sacrosanctum Altaris Sacrificium, idcirco Missa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quae sunt inter DEUM & homines, sola haec idonea & condigna per Sacerdotes mittitur Hostia ad DEUM, tum ad Christum, qui est missus a Patre ad Nos, ipse Mediator DEI & hominum. Imo victima haec, totius Sanctissimae Trinitatis est cultus, per quam, cum qua, & in qua, quotidie a celebrantibus impenditur DEO PATRI Omnipotenti, in unitate SPIRITUS Sancti, omnis honor & gloria. Considerent igitur Sacerdotes, quam puras celebrantium manus esse oporteat, quae Panem Angelorum contrectant? quam caute custoditam linguam, quae verba consecrationis effundit? quam sanctam & castam animam requirit, tanti Numinis praesentia? Grande Mysterium! nobis datum est, quod Angelis non est concessum: Si igitur praemonemur a Propheta: Mundamini, qui fertis vasa Domini, quanta cordis corporisque puritas a nobis exigitur, qui sumus Bajuli, Convivae, & Dispensatores Christi, & Corporis ejus pretiosissimi. Tria autem sunt necessaria

Isaia, c. 5

179 secundum Hugonem ad hoc, ut Sacrificium nostrum placeat DEO, scilicet: Fides vera, opera bona, intentio pura. Prima necessitas à Sacerdote requiritur eliciendæ veræ Fidei, & aliorum actuum: Amoris spei, humilitatis, & timoris ex ratione præsentia Divinæ; invoctionis SS. Angelorum, & SS. Patronorum. Secunda bonorum operum per Sacramentalē Confessionē, contritionē verā, exercitia pœnitentiæ & mortificationis, per pias orationes, vel maximè præviam semper devotam & attentam recitationem. Officii Divini, saltem Matutini cum Laudibus, tum præparationis ad Missam: per externam pariter in celebratione Missæ corporis modestiam, sine jactatione oculorum, cum omni gestuum gravitate. Tertia necessitas præ-tenditur intentionis puræ: ad gloriam DEI, & utilitatem animæ suæ, & audientis populi ac altarum animarum; non ex spe aut desiderio lucri, mercedis, aut alicujus quæstus abusivi. Quodsi ab aliquo invitari Sacerdotes, etiam Regulares, ad Capellas vel Domos contingat pro sacris peragendis, nullo modo ibi celebrent, nisi viderint locum, cum debitis apparatus, honestè exornatum & accomodatum, ac licentiam vel à Sede Apostolica, vel à Nobis seu Officiali Nostro Generali in scripto concessam, prætextu cujuscunq; Privilegii non obstante; omnia enim ejusmodi Privilegia, quibuscunq; à Summis Pontificibus indulta, jam per Tridentinum Concilium sunt abrogata. Circa quod Decanis locorum cōmittimus, ut à notitia præsentium habitâ, quantocyus, ex post verò quolibet anno, Capellas & Oratoria, quæ in eorum Decanatibus reperiuntur, adeant, revideant, Indulta examinent, & si quorum tempus præfixum exspiraverit, Sacrificia ampliùs celebrari prohibeant, si verò sint in decursu, nova tempestivè procurari urgeant; Magnates & Nobiles, quorum favore, tales facultates conceduntur, quatenus solemnioribus festivitibus, in Indulto specificatis

*Trid. Sess.
22. Decr.
de Celebr.
Missarum.*

& quando aliàs opportunè possunt, ad Ecclesiam pro au-^{180.}
dienda Missa descendant, familiã domesticã (eã duntaxat
exceptã, cuius præsentia domi omninò necessãtia) quo-
libet die Dominico & festo celebri, ad Ecclesiam com-
pulsã: informet & commoneant. Missam autem vigore
Indulti in talibus Oratoriis, unam tantùm nõ amplius, ce-
lebrari permittant. Caveant verò Parochi ne populus
frustretur, & privetur meritò Sacri audiendi diebus Festis,
& aliis, in quibus de præcepto Missa audiri debet, ideo
pro tũc se quocũq; prætextu ab Ecclesia non absētēt, nisi ali-
um Sacerdotem in sui locum, celebraturum substituunt.
In Ecclesiis suis, earumq; Sacrariis, Altaris ornatus mun-
dos & nitidos asservent, videlicet: Pallas, Corporalia, Pu-
rificatoria, & Albas Sacerdotales: Mappas ternas super
quolibet Altari, Calices expurgatos, & intus saltem in-
cuppa deauratos; Pyxide ad conficiendum in ea sanguinem
Christi, penitus non utantur: Vinum acidum, quod facit
dubium, aut tollit valorem Sacrificii, nunquam adhi-
beant; Ritus & Rubricas tam Officii Divini, quàm Sacri
ficii Missæ, Breviarii, & Missalis Romani observent, nec
extra præscriptum illarum in Directorio, Patronos, aut
Missas dicendas, (nisi fortè Privilegio suis Ecclesiis indultas)
assumant, præcipuè ex iis, quæ tantùm Regularibus con-
cessæ. Vagos deniq; quoscunq; & ignotos Sacerdotes sine
testimonio de vita & honestate, ac sine Formatis promo-
tionis ad Ordinem Presbyteratûs; Regulares autem sine
Literis Obedientialibus, & cõmendatitiis suorũ Superiorũ,
cujuscunq; Regulæ & Instituti existant, aut cum scandalo in
via pravitatis ambulantes, ad celebrandũ tremendũ Missæ
Sacrificium, & Confessiones audiendas, sine expressã Li-
centia & Approbatione Nostra, non admittant.

*Decret. cit.
Trident.*

De Ordinandis & Sacris Ordinibus.

181 **N**on sine gravi detrimento gloriæ DEI, animarumq; periculo evenit, quòd intelligimus, plures passim ad Sacros Ordines currere, & ipsis quoq; Angelicis formidanda humeris ministeria, apprehendere, sine reverentia, sine consideratione, non ut dignè & pro obligatione statûs impleant vocationis debitum, sed magis contaminent Characterem Ordinis; non ut meliores, sed ut ditiores; non ut sanctiores, sed ut honoratiores efficiantur. Quare licet mundus plenus sit Sacerdotibus, pauci tamen sunt, qui scientiâ & morum probitate digni reperiantur, ad hujus onus officii. Justum autem est, multa benè perpendi, ut dignitas Sacerdotii, illiusq; officium cognoscatur. Quoniam Nobis specialiter præcipitur: Ne manus cuiuspiam citò imponamus, & illum honorem tribuamus ante maturitatem annorum, ante examen capacitatis, ante probationem vocationis, ne scilicet communicemus peccatis alienis, si efficiamus talem ordinatum, qualis fuit, qui non meruit ordinari, nam utiles Operarios Ecclesia DEI postulat, cum Ordo debeat esse sanctitatis speculum & exemplar. Ideò circa assumendos, scientiâ, vitâ, & exemplò maximè probatos, statuimus: ut quisque ExtraDiocesanus, ante susceptionem Ordinum, Dimissoriales Literas ab Episcopo suo, unâ cum testimonio super vita, morum honestate ac scientia; Diocesani verò Nostri, à suis Parochis, tam originis, quàm domicilii, super natalibus, ætate, moribus & vita; à Professoribus, sub quibus studia tractaverint, Literaturæ Testimoniales, exhibere teneantur. Demùm Examen generale subeant, quod à Perillustri Archidiacono, cum aliis ad id specialiter assumptis peragetur, tempore in Literis Innotescentialibus designando, diebus videlicet tribus continuis: ita ut primò & secundò, examinentur omnes sæculares Clerici, ad quemcunque Ordinem promovendi, tertio verò die, Monachi & Regulares, cujuscunque Ordinis & In-

1. Timot. 5

*Trid. Sess.
23. c. 3. de
Reformat.*

*Idem Sess.
ead. c. 5.
eod. tit.*

*Idem. Sess.
23. c. 3. de
Reformat.*

stitu-

stituti, quos omnes (nisi qui specialibus ab hoc excepti sint Privilegijs) huic examini subijci volumus. Exercitia quoque Spiritualia, pro Ordinibus hinc specificatis assignata, quatenus per eos in Conventibus proprijs absolvantur, ac testimonium desuper, in Literis Dimissorijs exprimat^rur commendamus; qui verò ad prædictum examen die præfixo non comparuerint, à Cathalogo promovendorũ, noverint se reiiciendos. Examinandi igitur pro ordinatione, tam Sæculares quàm Regulares, requisita habebunt, ultra hæc, quæ superius innuuntur, ex infra descriptis colligenda.

182

*Idem Sess.
ead. c. 12.
cod. tit.*

De Prima Tonsura.

Prima ad Ordines dispositio est Tonsura, quæ ut legitimè conferatur, suspiciaturq; hæc in tonsurando requirit: Ætatem ad minus VII. annorum. Confirmationem. Notitiam Rudimentorum Fidei. scribendi, legendiq; peritiam. Constetq; de ipso, quod non in fraudem Iudicii sæcularis fugiendi, sed ut DEO fidelem præstet cultum, statum Clericalem amplectatur. Ut autem, cum hac dispositione, subjecta ad statum Ecclesiasticum benè disponantur, potissimùm ex eo, quod hæc limen omnibus, in sortem Domini vocatis, ad Sancta Sanctorum aperiatur, servandum fore immutabiliter statuimus, quatenus singuli, Tonsurâ & Minoribus Ordinibus initiandi, Exercitia Spiritualia seu Recollectiones, in Domo Congregationis Missionis in Stradom, diebus, quinque ante examen, unâ cum Confessione generali, absolvant; spiritum vocationis suæ, si ex DEO est probaturi.

*Trid. Sess.
23. c. 4. de
Reformat.*

De Minoribus Ordinibus.

Ad

183
Sess. 23. c. 11. de Ref.
Ibidē c. 6. eod. tit.

AD Minores Ordines aspirantes, ideò fortasse per interstitia temporis promoveri debere, Decreta Conc. Trident. & Rubricæ Pontificalis disponunt, ut paulatim ascendentes, in lingvæ quoq; Latinæ intelligentia, quam in talibus dictum Concilium requirit, proficere non omitant. Quia verò omnes simul quatuor Ordines conferri, (prout id arbitrio Nostro relictum est) sæpiùs evenit; volumus ut humanioribus saltem studiis eruditi, aut actu Rhetoricæ operam navantes, ordinandi accedant, taliterque promoti Habitum & Tonsuram Clericalem deferant, & in Seminario Clericorum, aut aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Nostri vel Officii Nostri, quasi via ad Majores Ordines suscipiendos versentur, aliàs Privilegio fori sciant se non gaudere.

De Sacris Majoribus Ordinibus.

Quoniam dignos duntaxat, & quorum vita immaculata senectus dici possit, nec probandos, sed probatos eligi oportet, ad Sacrum Majorum Ordinum officium, quatenus suæ quisq; pro ratione gradûs obligationi sufficiat, & vel ad Altaris Ministerium, vel ad curam animarum capeffendam habilis & idoneus adinveniatur; ideò ad Subdiaconatum & Sacerdotium, sæculares promovendi, ante susceptionem Ordinum per octo dies, pias meditationes seu spiritualia Exercitia, in Domo Cracoviensi Congregationis Missionis in Stradom, Regulares verò in suis Collegiis seu Monasteriis, priùs absolvant. Si extra statuta ab Ecclesia tempora, vel non servatis Interstitiis, ordinari petierint, Dispensationem super hoc, à quo de jure, Nobis exhibendam procurabunt omnes, etiam Regulares, nisi expressum Nobis desuper produxerint Privilegium, vel necessitatem secum dispensandi allegaverint. Qui taliter promoti, singuli sui Ordinis ministerium

sterium exercebunt in ea, cui adscripti sunt, Ecclesia; ut bonorum morum suffragio, & functionis exercitio, digni gradu, quem consecuti vel consecuturi sunt, reddantur. Antequam autem ad Ordines, quibus nondum sunt initiati, promoveantur, anteriorum Ordinum, per literas vulgò Formatas nuncupatas, fidem facient. Producent deinceps Titulum Beneficij, aut Patrimonij, aut Provisionis, Testimonium item natalium, atq; ætatis, quæ ad singulos Ordines requiritur talis, videlicet: Ad Subdiaconatum annus vigesimus secundus. ad Diaconatum, vigesimus tertius. ad Presbyteratum vigesimus quintus, saltem inchoati; quibus deficientibus nemo promoveri poterit, nisi Dispensationem desuper habuerit, & nisi in quolibet Ordine in antè suscepto, probatus, & instructus fuerit.

*Trid. Sess.
23. c. 14. de
Reformat.*

104

*Sess. ead.
c. 12. eodem
tit.*

De Baptismo.

Baptismus meritò inter Sacramenta primum locum obtinet, quia est janua, per quam nobis patet aditus ad Cœlestè Regnum: nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest esse particeps hæreditatis aternæ. Quia verò est Sacramentum necessitatis, Sacerdos circa illud ritè conficiendum, diligenter omnia, præcipuè in quibus valor ejusdem consistit, observabit. Ante omnia, ne in casu necessitatis infantes sine Baptismo mori contingat, Parochi instruunt obstetrices, quæ intentio, forma, materia, & earum applicatio requiritur? ac ex ordine, quomodò in necessitate baptizandum erit, easdem edocebunt. Quodsi contingat aliquando infantes, taliter per obstetrices baptizatos, supervivere, eosdem ad Ecclesiam deferri facient, & ceremonias ante omittas, in Rituali pro casu hujusmodi notanter descriptas supplebunt; aut si prudenter judicaverint expedire, vel de valore dubitaverint, sub conditione baptizabunt. In pri-

D

vatis

*Cement. 1.
hoc tit.* 105
vatis tamen domibus, nisi imminente gravi periculo,
aut obtentâ de super a Nobis, vel Officiali Nostro Gene-
rali, in scriptis licentiâ, Sacramentum hoc administrare,
nullus unquam præsumat; quinimò nec in domibus
Magnatum & Nobilium id attentet, sine hujusmodi li-
centia, per quam, si cuiquam baptizandi domi infantes ta-
lium personarum, facultas concedatur, omissis cerimo-
niis solitis, non baptizet, cum sæpè hæc, non sine gravi
contemptu ad maturiorem usq; taliter baptizatorum æta-
tem, differuntur, & aliquando fortasse prorsus intermit-
tuntur. Hortentur deinde Parochi Matronas Nobiles,
ut pro Benedictione consveta post partum, ad Ecclesiam
descendere non erubescant, quibus illam in domibus im-
pertiri, quòd est contra stylum Ritualis, easdem ingredi
intemplum DEI, & adorare Filium MARIÆ Virginis præ-
cipientem, omninò interdicimus. Nonnunquam eveni-
re solet, per ignorantiam, in cognationis impedimento
ex Baptismo proveniente, contrahi inter fideles Matri-
monia, in quibus aut non sine peccato cohabitatur, aut
illa non sine scandalo dissolvi possunt; idcirco man-
damus, ut duobus duntaxat admissis, unò scilicet & unâ
Patrinis, illos Parochi præmoneant, quod inter eosdem,
& inter baptizatum, hujusq; Patrem ac Matrem cognatio
Spiritualis contrahitur; ita tamen, ut non Patrini secum,
sed cum baptizato, batizatiq; Patre & Matre, cognati di-
cantur. Præterea si plures concurrant: distinctim, qui
sint levantes, qui assistentes, in libro Metrices de-
scribant.

*Trid. Sess.
24. c. 2. de
Ref. Matr:*

De Sacramento Pœnitentiæ.

Parochus, seu quicumque Sacerdos approbatus, horte-
tur fideles sibi commissos, ut non solum ad Confessi-
onem tempore ab Ecclesia præscripto, nempe Paschatis,
sed

sed quàm frequentissimè accedant, pro obtinènda veniâ
peccatorum, & lucranda Gratia sanctificante. Et quoniâ
Minister hujus Sacramèti, Iudicis & Medici simul officium
gerit, ut & tanquã Iudex, ex varijs peccatorũ generibus,
quæ gravia, quæ levia sint, quovè modo corrigenda, pro
cujusque pœnitentis statu & conditione, judicare possit:
& tanquã medicus, ea remedia ægrotò adhibeat, quæ ad il-
lius animam sanandam, & in posterum contra vim mor-
bi muniendam, aptiora videntur, operæpræmium est: ut
is tum prudentiâ & judiciò, tum scientiâ atq; eruditione
polleat, comparatâ partim ex Divina gratia, quàm assi-
duâ precatione à DEO supplex postulet; partim ex Au-
thoribus probatis, qui eam materiam probè planèq; tra-
ctant. In primis autem bene cogita habeat, quæ monitis
seu instructionibus in hac Epistola Nostra Pastorali, ad præ-
sens editis, ad Confessariorum usum continentur. Sa-
cramenti igitur hujus doctrinam omnem rectè nosse stu-
debit, ita, ut quæ sit illius essentia, qui effectus, quæ par-
tes, quæ earum partium vis & natura, peritè intelligat:
Quæ peccata mortalia, & quæ venialia cognoscat: pecca-
ti circumstantias dignoscat, quæ pœnitenti mutant speci-
em peccati, quæ illud aggravant, quæ in confessione sunt
explicandæ; quæ itidem restituendi obligationem inducant:
Censurarum vim & rationem benè intelligat, & quibus
criminibus sint annexæ: Casus reservatos in promptu ha-
beat, & sæpius in memoriam revocet, ut rectè noverit,
qui jure Canonum Summo Pontifici, qui rursus Ordina-
rio, qui præterea in Bulla Cænæ Domini, quiq; pro va-
rietate temporum Episcopo specialiter sint reservati.
In Ecclesia, non autem in privatis ædibus Confessiones
audiat, nisi ex necessitate, vel ratione urgenti: quæ cùm
acciderit, in Oratorio, vel certè in decentissimo loco, id
præstare non intermittat, idq; Superpelliceò ac Stolâ vi-
olaceâ ornatus. Ipsi quoq; Sacerdotes in Sacratio ordi-

187 nariè confiteantur, nec induti ut sæpè fit Albâ. Stolâ, aut Superpelliceo, quod est contra morem & præscriptum Ecclesiæ. In publico, Sacramentum Pœnitentiæ administrando, vultu & oculis ita compositis se quisque in confessionali collocet, ut revera ostendat, se de pœnitentis salute paternè sollicitum, adeò ut nullo penitens signò inspectantibus indicare possit, se gravitate sceleris alicujus commoveri. Prudens, cautusq; sit in interrogationibus, substantiam aut circumstantias peccati concernentibus, ne rudibus præsertim, atq; utriusq; sexûs junioribus, ad novum & nunquam antea attentatum peccatum, occasionem aperiat: hi tamen, si peccatorum, in quibus probabiliter deliquisse existimari possunt, nullam in Confessione mentionem fecerunt, prudenti cautione interrogandi erunt, ne aut pudore, aut metu peccata occultantes, pro justificatis sacrilegi efficiantur. In pœnitentijs imponendis habeat rationem statûs conditionis, sexûs, & ætatis. Cavebit nihilominus Confessor, ne pro peccatis gravibus levissimas pœnitentias imponat, nam Divinæ, literæ, ab ijs, qui pœnitentiam agunt, hoc exigunt, ut fructus dignos faciant pœnitentiæ; imò Concilium Tridentinum docet: alienorum peccatorum participes fieri eos Confessores, qui cum pœnitentibus indulgentiùs agentes, levissima quædam opera, pro gravissimis peccatis injungunt; ideò quoq; disponit: si quis graviter publicèq; peccaverit, ei publicam pœnitentiam, pro gravitate criminis, esse imponendam. Pro ratione Præcepti Ecclesiæ omnes Christi Fideles, sub mortali obligantis, ad Confessionem & Communionem Paschalem, quotannis peragendam, inculcamus Parochis præcipimusq; ut omnes suæ Parochiæ subjectos, incipiendo ab his, qui septimum ætatis annum expleverunt, per aliquem Ecclesiæ Ministrum fideliter describi, & ordine villarum Parochiæ disposito, ex qualibet villa distincto die ad Ecclesiam convenire, & Con-

fessi-

Sess. 14. c. 8. hoc tit.

Idem Sess. 24. c. 8. de Refor.

fessionem ac Communionem, quotannis absolvere faci-¹⁸⁰
ant; exactionibus prætextu schedularum, multò magis la-
boribus servilibus, intuitu audiendæ Confessionis, eosdem
non gravantes. Quicumque ex Parochianis, Confessionem
& Communionem sic præceptam, negligenter omise-
rint, contra eosdem jure agant, vel illos ad Nos, seu Of-
ficium Nostrum deferant. Quolibet verò tempore, præ-
sertim diebus Festis, in administranda Pœnitentia Sacra-
mentali, semper se diligentes exhibeant.

De Approbationibus ad Confessiones.

Magni momenti officium inest Sacerdotibus, consci-
entiarum nempe Christi Fidelium, in Confessionibus
Sacramentalibus, iudicium, ad quod exercendum,
utrum habiles & idonei inveniantur, examine erudito-
rum Virorum ad id specialiter destinatorum probari, il-
lorumq; testimonio per Nos, seu Vicarium Nostrum Ge-
neralẽ, approbati debent. Nihilominus tanta inter nonnul-
los irrepsit temeritas ab ignorantia proveniens, ut dum
alios Sacramentum Pœnitentiæ, sine Ordinarij approba-
tione, administrare vident, ipsi quoq; errorem trahentes
in exemplum, similiter non approbati, Confessiones fide-
lium excipere præsumunt. Quare Parochi, si in eorum
hæc aguntur Ecclesijs, temerarios hujusmodi, Officio non
deferentes, quinimò sæpius Parochianis eorum talibus
Confessionem facere permittentes, & ipsi peccatis eorum
communicant, & periculum invalidæ absolutionis, in
conscientias Parochianorum inducunt. Ne itaq; ejusmo-
di committantur errores, & animæ Christi fidelium, in re
tam gravi fraudentur, monemus, & præcipimus: ut Re-
gulares in suis Ecclesijs aut Capellis, Parochi verò & qui-
vis Beneficiati, in suis Parochijs, tam Sæculares quàm Re-
gulares Presbyteros, ad juvamen in excipiendis Confes-
sioni.

Trid. Sess.
23. c. 15.
de Ref.

109

sionibus, admittere non audeant, nisi prius in examine sufficientes ad id reperti, per Nos, aut Officium Nostrium fuerint approbati; Privilegijs quibuscunq; tam Sæcularibus quàm Regularibus, aut Monialium Confessarijs, à Sede Apostolica indultis, non obstantibus. Evenit sæpius, nonnullos tam Sæculares, quàm Regulares Presbyteros, per Parochias titulò & prætextu alicujus Missionis, curitare & divagari, qui talis Missionis, aut quocunq; alio colore, extra claustra Conventûs & Monasterij, ac Beneficia suarum Provisionum divagantes, & in alienam messem falcem mittentes reperti, per Nos, seu Officium Nostrium moniti, si ab hac temeritate, non destiterint; contra illos ad pœnas in Jure præscriptas, nullis exemptionibus & Privilegijs suffragantibus, seriò & rigorosè procedemus. Grandis est passim error & præsumptio, quòd plures tempore Approbationis elapso, ulteriorem procurare, & obtinere negligunt, sed in spem obtinendæ, aut ratihabitionem aliquam prætendentes, per tempus notabile, Confessiones excipiunt; hanc temerariam præsumptionem abolere volentes, ne aliqui id (nisi fortè in casu extremæ necessitatis, in mortis scilicet articulo, quando etiam non approbati dummodò Presbyteris, Confessiones moribûdorû excipere, eosdèq; validè absolvere, est permissum) attentare audeant, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendâ, seriò monemus, & inhibemus.

De Casibus Episcopo reservatis.

